



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna IV. De asperitate, qua Dominus exceptus est in sua Nativitate.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

berna me, juva me, sana me, quasi tuum; quia pro honore hujus naturæ, quam assumpsisti, vis omnes homines esse, quales tu exigis, mundos, nitidos, opulentos, beatos. Ego sum tuus, Creator mihi: sum tuus de jure, & cupio tuus etiam esse ex amore, ac tota voluntate cordis mei. Vides me, Domine, tibi esse propinquum: constringo tuos sacratissimos pedes, nec te dimitto; quia totus es meus. Tuæ voluntati trado me totum, quia tu per amorem habes possessionem hujus animæ meæ. O Amor, sic me immuta, ut possis etiam tu dicere, tota es mea, ô pauper creatura. O si videam utrumque hoc impletum, ut sicut tu totus es meus, ita & ego totus sim tuus! sed tu solus hoc potes efficere, ô ignis Divine! tuum est, me urere & inflammare, ac in te convertere.

ÆRVMNA IV.

De Asperitate, qua Dominus exceptus est in sua Nativitate.

I.

 Um tempus appeteret, ut Verbum Incarnatum procedens *Christus* ex utero purissimæ Virginis, appareret in mundo, tan- *exultans* tum fuit ejus gaudium, quòd videret imminere, quæ tan- *numis.* toperere desideraverat, ut illud Propheta animo Gigantis comparaverit, qui ad præclaram aliquam expeditionem tendit exultans. *Exultavit ut Gigas ad currendam viam. Ps. 18.* cùmque venisset in terram, constrictam frigore, vocavit exercitum Angelorum de cælo, ut ob hunc tam optatum ingressum sibi gratularentur: quod utique facturæ erant etiam aliæ creaturæ, si hoc eis concessum fuisset; non minus gaudium de gratioso ejus adventu demonstraturæ, quàm postea mœrorem de tristi obitu ejus ostenderint. Sed uti statuerat in terra plantare Spiritum cælestem, & incendere modo longè diverso ab amore terrestrium rerum: ita contentus fuit hac gratulatione cælesti: etsi sacratissima Virgo non omisit suo, ac totius mundi nomine, excipere ac salutare Creatorem: quia sola digna fuit obire id munus, & supplere totius naturæ defectus.

E

II. Cùm

*In Beth-
lehem.*

II. Cùm ergo notaret imminere tempus patiendi, non ex doloribus & molestia uteri, sicut aliæ prægnantes; sed è novis ac maximis inflammationibus amoris, ac lætitiis animi gestientis videre ob oculos positum, stringere amplexibus, & collocare in gremio virginali Unigenitum Filium DEI ac suum, mansura semper Virgo, & Mater ejus, quem adorabat ut DEUM; venit cum Joseph Sponso suo in civitatem Bethlehem, obtemperatura edicto Cæsaris, quò per totam Judæam jubebantur omnes profiteri nomen suum, ac pro se Filiòq; datura tributum. Civitas erat exigua, homines, qui in eam convenerant, plurimi; quia omnes è prosapia David eò se debebant conferre: hinc Virgo locum non reperit, neque in hospitio, neque apud aliquem civium; sed coacta est se recipere in publicum quoddam stabulum, ubi erant aliquot præsepia, quibus viatores alligabant jumenta ad pabulum eis præbendum. Non est cogitandum, Virginem sine magna ratione delegisse hunc locum, quia in omnibus regebatur à Spiritu sancto. Etsi enim probè sciret, se proximam esse partui; quæ sola causa sufficere poterat, ne ipsamet à Nazareth eò profisceretur: profecta est nihilominus, ut quæreret locum, quem sciebat pro sua Nativitate electum à DEO, quem gestabat in utero; sese tanquam fidelis Ancilla DEI (quod nomen pluris æstimabat, quàm Matris) magis voluntati Christi accommodando, quàm suo desiderio, ut pareret eum loco magis decète.

*Matre non
sentiente.*

*Prodiit in
lucem.*

III. Ipsà igitur seorsim in eo stabulo, malè munito contra ventos & frigora, profundissimæ & ardentissimæ orationi vacante, Verbum DEI incarnatum, non sentiente hoc Matre in ullo effectu corporali, propria divinæque virtute, salvâ ejus integritate virginea, ipso mediæ noctis articulo, (uti S. Bernardo revelatum est) prodiit è purissimis visceribus, adminiculo subtilitatis, doni corporum gloriosorum, utens pro illo momento; supraque paleam collocavit se humi ante ora purissimæ Virginis, corpusculo perexiguo, sed longè pulcherrimo. Sensit eodem momento Virgo lacte impleri de cælo sua ubera, & fixis humi genibus humillimè venerata DEI ac suum Filium, accepit in brachia sua, pannis involvit, & collocato in sinu præbuit ubera: postea, ut obsecundaret ejus voluntati, cùm locus in stabulo melior non esset, reclina vit in præsepio DEUM & Creatorem suum, intuens, ad-
mirans;

mirans, & adorans. Contemplationi piorum relinquimus, qui tunc fuerint sensus Virginis prudentissimæ, quæ alloquia Filii verbis explicari non possunt. Fecerunt & Angeli suum officium, recognoscendo & adorando Dominum suum in carne; & ad hoc ipsum advocârunt pauperulos pastores, cælesti melodia laudes DEO canentes, & promulgantes pacem in terra hominibus bonæ voluntatis. *Et Angelis jubilantibus.*

IV. Habent hæc verba Angelica sensus diversos. 1. Filium tandem esse dividia ac belli, quod peccatum inter DEUM hominẽmque crearat; & jam omni bonæ voluntati, omni bono desiderio, omni amori cordis humani liberum accessum esse ad pectus divinum, per pacem factam, & in perpetuum firmatam à recens nato Filio DEI. 2. Posse jam homines vivere securos ab ira & justitia DEI, sub umbra & protectione talis Advocati ac Protectoris, qualem habemus in Filio DEI nato in carne. Quia per eum divina Bonitas invenit sufficientissimas causas & merita, recipiendi eos in gratiam & amicitiam suam cum bona voluntate: ut sit sensus, pacem hominibus datam esse per bonam voluntatem ac liberalitatem DEI. 3. Alius est sensus valde conveniens amori, quem DEUS hodie monstravit hominibus. In sacra Scriptura peccatores vocantur sæpe filii iræ, perditionis & mortis, quia subjacent peccato. Sed per Christum Dominum nostrum facti sumus filii adoptivi DEI, & verè vocamur ejus filii. Atque ut hoc non provenit à nostro merito, sed ab excessivo amore ac benevolentia, quam DEUS monstravit faciendo, ut filius suus fieret homo; sic Angeli vocant homines, & filios horum viscerum divinorum, ac bonæ voluntatis ejus in omne bonum nostrum propensæ: & hinc annunciant pacem hominibus ac filiis hujus paternæ & infinitæ Bonitatis, quæ est Principium & conservatio omnium bonorum nostrorum. *Quod pax cum Deo facta. Securos reddat homines ab ira Dei. Veluti filios adoptivos.*

V. Inter hos cantus & jubilos Angelorum non est obliviscendum ærumnæ, quam Dominus Humanitati suæ imponit, ac mox eam docet, quod non ad quiescendum sit nata: ut gratissimus ei pro continua memoria, quam de nostra salute, nec interplausus & festa cælestia deponit. Habebat ibi brachia sacratissimæ *Sua tamen his gaudia ærumna non desuit.*

Virginis parata, & hoc ipso, quòd Mater esset, obligata ad hoc, ut ei servirent, ipsúmque nascentem exciperent: sed ipse egrediens ex utero purissimo non deponit se in illa, nec sinit ea facere primum officium; sed in terram se collocat supra paleas, & pro lectulo terram eligit, communem brutis ac vermibus. Ita suum corpus ab initio statim tractare voluit: quòd etiam continuavit usque ad mortem, ut semper dici posset, eum non habere, quòd se reciperet, cum tamen & vulpes habeant foveas, & volucres cæli nidos; ipsius autem divina Majestas nec lapidem aut pugillum terræ proprium habeat, ubi suum caput reclinet; rem, quæ nulli animalium deest. Voluitque statim ab ortu suo apparere, quòd de ipso David prædixerat, ut vermis, non ut homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Quis enim etiam ex infima plebe rationem habet vermium è luto nascentium? eandem planè rationem habuit ipse Christus sui Corporis, statim à Nativitate collocans illud in eodem loco, unde vermes trahunt originem.

*Cum sese
Rex Regum
collocavit,
humi.
(Teste S.
Iustino.)*

VI. Neque hoc tribuendum est ejus infirmitati vel infantiæ, quia suo arbitrio prodiit ex utero, in quo novem mensibus mansit. Imò tribuendum est æternæ Providentiæ; & ille ipse tanquam DEUS & mundi Governator disposuit, ut Regnum ac Principatus deficeret à progenie David, à quo ipse rectâ lineâ descendebat per Virginem Matrem, & Sponsum ejus Joseph, fabrum carpentarium, utrumque pauperem; & sic ipse, quamvis legitimus hæres terreni regni Davidici, nasceretur ex paupere Matre. Atque ut non curavit impleri promissionem Davidi factam de successione perpetua in regno terreno, sed in cælesti ac æterno; unde etiam ordinavit, ut illa extingueretur omninò, & extraneus ac gentilis, regnum illud haberet; ut ipse pauper posset nasci, vivere, & mori: sic etiam voluit, ut Imperatores Romani ex alia parte Mundi domini essent Judææ, ac Augustus juberet describi omnes subditos; ut sic omnes è familia David irent in Bethlehem, eodémque tempore Virgo Domina nostra ipso gravida veniret eodem, ubi locus ipsi ad nascendum alius non erat, nisi stabulum, quòd ad hoc elegerat; ut statim ab ortu suo in terra demonstraret differentiam inter cogitationes ac studia DEI & mundi. Dum omnia
invertit

invertit hujuscemodi Nativitate, quia mundus nulla re alia magis occupatur, quam in quærendo, ut aliquid sit, aliquid valeat, habeat statum aliquem & existimationem apud homines. Meritissima vanitas. Hinc cognoscitur vilitas commodorum temporalium, quæ tanto studio quærentur, quasi in illis magnus & sincerus aliquis pararetur amicus; cum revera sint maximi & verissimi inimici omnis nostri boni: ut rectè dixerit S. Egidius, socius S. Francisci, illum securius & melius vivere, qui certius meliusque cognoscit, suum corpus esse capitalem inimicum omnis boni sui. Ideo Christus, qui speculum est omnis veritatis, ut nos dedoceret errorem, etsi corpus habuerit obedientissimum suæ Divinitati, & maximè conforme suæ voluntati, sine omni repugnantia culpabili, tamen docuit in seipso, quomodo nos oporteat corpus nostrum tractare; dum statim in ipsa Nativitate tractavit ut inimicum, licet inimicum non esset; ac terram, ac solum ei dedit pro domicilio, ut semper fatigaretur sine ulla quiete vel commodo.

*tam asper
tractando.*

VII. Considerandum est autem, non levem Domino hanc ærumnam fuisse, ut qui tenerrimæ complexionis esset, ac perinde imbecillis, ut alii homines. Quare non parùm sensit attritionem sui corpusculi in terra positi, nec potuit capere somnum propter duritiam sui cubilis. Nôrat quippe, quantum noceat amor corporis proprii & pax, quam habemus cum ejus appetitibus, quibus obtemperamus promptissimè; quòdque nulla sit res in mundo, quæ tam facilè inferat nobis jacturam meritòrum, & fructuum omnis sui laboris exantlati pro nobis, quam proprius amor nostri corporis. Hinc in se velut in speculo nobis ostendit, quantum hic hostis sit nobis timendus. Sanè si amor proprius in cælo, sine debilitate corporea, tot Angelos dejecit ad ortum, qui tantâ gratiâ præditi erant; quid poterit in hominibus formati è luto, qui tantùm ei serviunt? Juvabit cogitare, quod scribit S. Bernardus Epist. 2. Tantùm in cælo, quando fruemur Deo, poterimus esse securi, ab amore proprio: quia tanquam res naturalis illuc ascendet nobiscum; sed in visione Dei sic acquiescet, ut sit depositurus omnem malitiam, quâ nos hîc solet pervertere. Qui autem in hac vita bellum non gerit cum eo, neque tractat ut hostem, certus sit

*Tonellum
Et innocens
corpuseculi
suis.*

de ruina animæ suæ. Ac tantò magis timendus est hic inimicus, quantò se blandiorem ostendit: tunc enim majore cum furia, suâ malitiâ machinatur damnum animæ nostræ.

E X E R C I T I U M

Circa Nativitatem Domini.

I.

*Salutatio
Christi na-
ti.*

Inflamma, bone JESU, in hac hora igne charitatis tuæ animam meam. Illumina, Amor meus, æterna luce tua cor meum. Refrena distractiones cogitationum mearum. Collige omnes sensus meos internos: pelle nebulam ac cæcitatem, in qua degit cor meum; ut possim te videre, cognoscere, amare, excipere, amplecti puro amore. O sponse animæ meæ, quàm pulcher, opulentus, & affluens omnibus bonis prodixisti ex hoc sacratissimo ventre! quàm inflammatus & accensus amore ingrederis terram & hoc exilium miseriarum! sis benedictus tu, qui venis in nomine Domini, ac DEI nostri, qui nunc affulges. Veni salus mea, veni gloria mea, veni desiderata & expectata beatitudo hujus animæ! Adoro te, Deus meus, natum in mea carne: adoro hæc membra, adoro hanc animam, adoro divinitatem hanc, adoro hunc amorem, hanc misericordiam, hæc divina bona, istas divitias, quibus plenus venisti. Apparuiisti, gloria mea, in terra deserta, & vacua omnis boni, plena malorum omnium. Jam inveniris in societate peccatorum, & tecum conversantur pauperes pastores. Jam fecisti ex terra cælum, ex præsepio paradysum. Descendunt Angeli de cælo ad quærendum & adorandum te in terra. Jam plenum gloriâ est exilium nostrum, & in valle lacrimarum audiuntur cantica & laudes cælestes: omnis locus est paradysus, ubi tu es; quia tu ipse paradysus es divinarum, spiritualium ac cælestium voluptatum animarum te amantium. Apud te, Domine, omnia munda sunt, omnia nitida, omnia lucida, omnia suavia, omnia amorosa ac plena dulcedinis.

*Bonâ vo-
luntate no-
stra conten-
ti.*

II. Si non quæsitus nos quæris, Deus meus, & non vocatus venis ad miserabilem habitationem nostram; quid facies eî, qui te desiderat, vocatque? Ego te voco, bone JESU: veni Domine, ingredere in hanc animam meam: & nascere in ea: lux divina splendore

splendore tuo eam illumina. Da pacem hodie, DEUS meus, bonæ voluntati: scis enim quàm parum, imò nihil boni operis in nobis invenias, simusque tam inopes virtutis, ut summum, quo pertingimus, sint aliqua bona desideria. Opus & laborem tibi reservas, & me finis divitem esse voluntatibus ac desideriis, ut teipso voluntatem hanc impleas, dando mihi gratiam, ut possim operari cum ipsa. O DEUS meus, & amor infinitus! si quid habeo boni, inde est, quòd sim opus tuum, & filius paternæ & amantissimæ voluntatis, quam erga me geris: ab ea scaturit perennis fons bonorum. In me quoque tantùm cupis bonam voluntatem pro præparatione ad omnia bona, quæ mihi potes largiri. Si ergo, Domine mi, voluntatem petis, ecce hîc meam, quam in hac hora mihi das per bonitatem tuam, desiderantem te amare, desiderare, possidere, ac tradere se totum tibi: quod ipsi deest, ne perfecta sit, ô summa perfectio, tu supple. Quis ego sum, ut habeam aliquid boni sine te! Insuffla, Divine Spiritus, in hanc scintillam, quam mihi das, tui amoris: fac prunam vivam, ut exardescat in flammam, qua torus ardeam tui amore.

III. O Divinæ pufio, quantum differs ab eo, qui videris? *Et nostræ parvitati se accommodantis.* oculi humani non sunt tam perspicaces, ut videant plus in te, quàm corpus exiguum, debile, jacens in terra, vagiens, plorans, & algens, quasi projecti à mundo, inops omnium, in luto, inter animalia, quasi vermiculum terræ. At verò tu es Filius Patris æterni, pretium & substantia gloriæ suæ, DEUS infinitus, æternus, omnipotens, thesaurus divitiarum DEI, satietas animarum beatarum, deliciae te amantium, beatitudo te desiderantium, & perfecta opulentia te possidentium. O DEUS infans, ô summe puelle, quis diffidet, quòd possit habere te totum, quando tam parvus es, ut quilibet possit te capere? Tu, DEUS meus, ad mensus es te cordibus pusillis, ut omnes te capere possint: cùmque tenuerint ac te possederint, facis crescere, & ad magnitudinem tuam dilatas. Nullum *ut eum amplecti possimus,* rejicis, nullum fugis, acceptas habitaculum quodlibet, & ab omnibus permittis te stringi amoris amplexibus, tanquam vera vita cujuslibet animæ. Veni ergo, pufio: nam qui hunc pusionem amplectitur, DEUM amplectitur, Deum tenet, Deo fruitur, in Deo
delicias

delicias habet. Tu summa gloria, majestatem tuam abscondis, ut homines possint, sine timore, familiariter tecum agere. Quis auderet accedere ad te, si tua bonitas tam familiaris non esset? veni in hoc cor meum, Divine puer, arripe brachia, quæ porrigit desiderium animæ meæ. Diversare mecum, quiesce & recreare mecum, ostende mihi pulchritudinem tuam, & hac agnina mansuetudine duritiam mei cordis emolli, totumque in amore tui consume. Sim ego semper tecum, ô mi dulcis JESU! crescat tecum cor meum: dilatetur, & acquirat robur te satis amandi, & obediendi, ut amore tui plenum faciat voluntatem tuam in omnibus.

*Qui sponte
se abiecit
humis,*

IV. Bone JESU, Verbum Divinum, sapientia æterna, vera vita animarum! si venis ad quærendos homines, cur in egressu ex hoc sacratissimo, purissimo ac Virginali utero te sejungis ab omnibus, ac tam asperè tractas teipsum, abjiciendo tenerrima membra in hoc durum & frigidum solum, in loco tam vili & horrido? nonne saltem pro honore Matris, quæ te educatura, tamque fideliter tibi servitura est, par erat, ut sineres te natum excipi primò dulcibus ejus amplexibus? quid hoc est rei, Deus meus & gloria mea? Tu, Domine, non casu decidis in terram, sicut alius infans infirmus & ignorans, cum sis æterna sapientia, portans omnia verbo virtutis tuæ. Facis hoc, quia vis: tua sponte sic tractaris, Deus animæ meæ! qui jam dudum, à multis retro annis ita gubernationem mundi disposuisti, & omnia sic ordinasti, ut cogeretur tua sacratissima Mater ire in Bethlechem tali tempore, quo tanta multitudo hominum adesset, ut non reperiret locum, nec diversorium aliud, quàm ut nascereris in stabulo: ac tu horâ prædefinitâ, egressus propria virtute ex utero, tua voluntate humi te collocas, & jungens terræ loco tam vili, tam inclementer te tractans & asperè; ac terram eligis, ut per totam vitam tuam tibi sit pro lecto, possisque verè dicere, quòd non habeas, ubi caput reclines, nisi in terra communi brutis ac feris, cum tanta vexatione sanctissimi Corporis tui non secus, quàm si tibi rebelle & inimicum fuisset, sicut hoc meum est misero meo spiritui.

*ut nos do-
ceat,*

V. O bone JESU, quænam est hæc amicitia, quam habes cum asperitate, ac rigore in proprium corpus, dum tua sponte collocas te in dura terra, neglectis brachiis Matris; atque ut hoc obrineas,

obtineas, mundum invertis, ac mutas statum regnorum? nonne tu elegisti sacratissima brachia purissimæ Virginis, ut serviant tibi? cur igitur non exspectas, donec te excipiant prodeuntem in lucem, sed ea prævertis, occupans durum, asperum, vile & contemptibile solum? Non sunt hæc milites & carnifices, qui te in terram dejiciant, sicut erunt olim, quando capient in horto. Propria voluntas, amor tuus est ille, qui te adigit in locum tam durum, tam fœdum, quique in præsepio te reponit. O sapientissime Cognitor malorum meorum, ô verum & unicum eorum remedium: Corpus meum, & caro mea sunt inimici, quos habeam, maximi & fœvissimi. Corpus meum adversatur mihi in omnibus, & ad omnia mala me inclinat. Pro carne perdo omnia bona, quæ à te accepi. Et tu, mi bone Jesu, carnem tuam, quam habes purissimam, & instrumentum obedientissimum, ut in ea, & per eam tua Divinitas mihi faciat infinita bona, tractas quasi foret rebellis, ut mea; & sicut ego meam deberem tractare: & antequam intres in gloriam tuam, non vis illi concedere ullam requiem, sed perpetuos labores & pugnam. Heu quàm cæcus & miser sum ego, qui cum tam clarè hæc videam, non erubescō pacem & amicitiam inire cum hoc hoste meo capitali! servio corpori, tanquam Domino; æstimo illud, quasi magni quid esset: perdo somnum pro illo, quasi pro amico: blandior, tanquam fidei, & pro illo te perdo, Deus meus ad singulos passus, quasi obligatus illi essem, sicut sum tibi. O quoties te offendo, ut placeam illi! quot injuriis te afficio, ne ipsum offendam! quàm sentio, cum minus bene habet! ut compatiar ejus doloribus! quomodo rationes ejus tuis præhabeo, ac sequor cæcus & infatuatus, cum videam in te, Deus animæ meæ, humanitatem tam malè habitam! O lux cordis mei! Speculum & Magister puræ & æternæ veritatis, qui tam clarè me doces, quid conveniat corpori, idem ipse amor, qui te adigit ad hos excessus, ut me illumines & sanes, creet obsecro in me spiritum novum, qui fugiat & horreat hunc hostem tam perniciosum. Tu, scis, Deus meus, quòd non possim odisse id, quod hucusque sic amavi, neque cognoscere fraudes ipsius, neque declinare, tractando id semper ut hostem, & adversarium omnis mei boni, nisi per ignem puri ac sinceri amoris tui, quo tibi soli possum servire atque placere.

*Quantum
erremus,
dum blandimur car-
ni nostra.*

*Quæ nihil
habemus
in se u.*

VI. Est meum corpus, Domine, intimum huic homini terreno: & quando id considero, meque comparo tecum, video me nimis illi adstrictum. Mecum incedit, mecum crescit, mihi adhæret, & omnibus rebus se immiscet. Ex omnibus rebus tuis quærit proventum, vult habere primas, & regnare; & quæ mea est miseria, sæpius obtinet. Quid faciam, DEUS meus? quomodo potero sufferre pondus miseriarum istarum, & legem carnis repugnantem tuis mandatis? Non inveno aliud remedium, quàm te, DEUS meus, ac Dominus meus; quia ideo natus es, ideo tam asperè tractas te ipsum. Cura ergo, bone JESU, cauterio tuo corruptionem hujus miseriæ, & robore Spiritûs tui reconcinna hunc meum. Vita & Confortatio animæ meæ, non potest hoc stabulum agnoscere tuam præsentiam, quia semper manebit stabulum, neque tu mutabis ejus naturam. Sed, ô Domine, hoc durum & molle cor meum, hoc lutum miserabilium affectuum hujus animæ, hæc vilitas desideriorum meorum, in quibus me hætenus detinui, mutabitur tuâ præsentia. Ergo dimitte hunc locum, & veni ad me, me potes illuminare, emollire, & mutare: veni, Domine, ut ego te cognoscam, te adorem, te complectar, te possideam, ac tecum pro te meipsum horream, & perfectè fugiam. Veni, dulcissime JESU, in hanc animam; quia hîc me humiliabis, & in humilitate mea glorificaberis. Docebis me veritatem tuam, vinces inimicos meos, & cum morte Spiritûs terreni facies vivere in anima mea tuum divinum Spiritum. Pone te semper, bone JESU, ob oculos meos, mane semper in corde meo, ut pulchritudo & suavitas tua me capiat, & sic amittam gustum hujus terræ. Et quia tota mea ruina oritur inde, quòd carni contra tuam voluntatem obediam; tu, Domine, scis infirmitatem meam, & exiguas vires ad superandas occasiones, cum ingruunt, & quia solâ potenti manu tuâ confirmare me potes, & servare contra meipsum; en me abjicio ad divinos tuos pedes, & offero me totum tuæ Divinæ Majestati, cum omnibus plagis ac necessitatibus meis: volo, quidquid à me petis, ac desidero, ut in omnibus tuam divinam voluntatem adimpleas. Et quamvis rebellis mea caro desideret aliud, tu illam mortifica, bone JESU, & ostende in me vim Spiritûs tui, qui de cælo te traxit in terram.

Et

Et quia tu scis, qualia & quanta sint desideria mea, fac meum secundum magnam misericordiam tuam: quia ego non possum plus facere, quam ut ostendam meas miseras involutas ardentissimis suspiriis ad te, Deus meus, spes mea, remedium meum, in quo confido, quem adoro, laudo, ac desidero amare toto corde.

VII. O Mater & Virgo sanctissima, succurre huic misero exuli: adjuva, ut confringatur duritia cordis istius, contradictiones hujus miserabilis corporis, ut semper sim subjectus in omnibus rebus divino huic Domino. Non sim expers fructus ærumnarum ejus, & extra ejus gratiam. Adjuva me, ut possim ei satisfacere, & me vincere, atque ita ipsi servire, & ipsum amare. O Angeli, & vos purissimæ animæ hujus supernæ Curia, amate & glorificare hunc Dominum laudibus infinitis, pro gratiis in me collatis. Estote mei advocati & intercessores, ut me pondus hujus carnis non opprimat: sed impetrate mihi spiritum, qui teneat eam semper subjectam Spiritui Domini, afflictam & vexatam, donec merear gaudere in vestro beato consortio, relaxatione & quiete æterna.

ÆRVMNA V.

Lacrimæ Christi pro nostris peccatis.

I.

Lacrima vox, quam Christus natus emisit è sacratissimo ore suo, ploratus fuit instar aliorum infantum, quibus similem se fecit in omnibus. Nec est res exigua admirationis, videre Filium Dei vivi abscondere suam æternam Sapientiam, ac vivere sine loquela, & in silentio usque ad tempus, quo loquuntur alii infantes, cum ploratu, in fasciis, inter brachia; tractari ut alios infantes, non minore debilitate naturali: & sicut hæc omnia proveniebant ab ejus amore, non ab infirmitate, ita magnam iis portam aperuit considerandi, qui diligunt ipsum, ut eum tractent, & inflammentur his mirabilibus æterni sui consilii. Magnum ad hoc motivum præbent lacrimæ, quibuscum ingressus est mundum, & quamvis in his fuerit similis aliorum infantum, causa tamen lacrimandi fuit ei longè dissimilis. David de illo præ-

Zelus honoris Dei Patris.